Fragmentarium

erunt declinationis. ut haec ornus hui orni. haec fagus hui fagi.
haec pirus piri. haec cupressus cupressi. Excipiunt quercus. laurus.
pinus. cornus. ficus. quae tam secundae quam quartae inueniuntur. Cicero in
ortographia. ibi quercorum ramia ad terram iacent. ut sues quasi capre
extramis glande pascantur. Uirgilius in IIII. arma sub aduersa posu
it radiantia quercu. Statius in VII. thebaidos. cornu depressus achiua.
Uirgilius in XI. ferro sonat icta bipenni fraxinus euertunt actas ad si
dera pinus. Cicero in II. de oratore. cum familiaris quidam quereret
quod diceret uxorem suam suspendisse se de ficu. Amabo te inquit da mihi
ex ista arbore quos seram surculos. Martialis in epigrammatib. dicemus
ficus quas scimus in arbore nasci. In uero in productam. us. terminentur
ablata s. addita tis. faciunt genetiuum. ut hec seruitus hui seruitutis
uirtus uirtutis. salus salutis. senectus (senectutis) iuuentus iuuentutis. Excipi
untur tellus telluris. palus paludis. quae duo non habuer. t. in genetiui
uo. palus tamen etiam correpta. us. inuenitur apud horatium de arte poeti
ca. debemur morti nos nostraque. siue receptus terra neptunus clas
ses aquilonibus arcet. regis opus sterilisque diu palus aptaque remis.
Alia uero omnia eiusdem generis id est feminini in. us. correptam desinentia. quar
tae sunt declinationis. ut hec nurus hui nurus hec tribus. hui tribus. hec
manus hui manus. Ex quo compositum eiusdem declinationem sequitur. hic centi
manus hui centimanus. Horatius in II. sermonum. testis mearum centimanus
giga sententiarum. haec anus hui anus. Nam terrentius contra hanc
regulam in heauton timorumeno dixit anuis more antiquo. Ipsa offen
dimus mediocriter uestitam ueste lugubri anuis causa opinor
quae erat mortua. Excipitur hec aluus hui alui quod ueteres frequen
ter masculino genere protulerunt. Accius in annalibus. ut qua fragi
lissimus aluus. Cato ad filium ex dolore. ex febri. exiti ex medicamentis
bibendis ex cataplasmatis ex aluo lauando. Cinna in zmyrna. at sce
lus incesto cenne crescebat (i. mouebat) maluo. Itaque secundum hoc genus

Priscian. L. VI. (ap. Putsch. p. 728.) 10

Prima declinatio habet terminationes in nominatiuo tres. a. as.
es. In a. tam latinorum quam grecorum. tam masculinorum quam femininorum et com
munium. In as uero et in es. grecorum tantum et masculinorum. ut hic scriba po
eta. hec roma. musa. hic et hec aduena. hic eneas. hic anchises. eius gene
tiuus et datiuus in ae diptongum desinit. et pares habent sillabas no
minatiuo. ut hic poeta hui poetae. huic poetae. hic eneas hui eneae. huic aeneae.
hic anchises hui anchisae huic anchisae. Nisi diuisio fiat in genetiuo po
etica. qua frequenter ueteres romanorum poetae utuntur. eneai. et anchisai.
et pictai et aulai. pro eneae anchisae. pictae aulae dicentes. Uirgilius in III.
eneidos. aulai in medio libabant pocula bachi. Idem in VIII. diues equum
diues pictai uestis et auri. Cicero in arato. atque oculos urguet pedib.
pectusque nepai. pro nepae id est scorpii. In eodem. serius haec obitus ter
rai uisit equiuus. Lucretius in I. effice ut interea fera munera mili
tiai. Idem in eodem. aulide. quo pacto triuiai uirginis aram iphiana
sai turparunt sanguine foede. DE ACCUS. S. PRIMAE DECL.
Accusatiuus ae diptongum genetiui siue datiui mutauit in am. ut poe
tae. hunc poetam. musae hanc musam. Frequentius tamen inuenimus in gre
cis nominibus as. et es. terminantibus. accusatiuum grecum proferre auctores.
hunc enean et anchisen. Uirgilius in V. enean credam quid enim fallacib.
austris. et in VI. isque ubi tendentem aduersum per gramina uidit enean ala
cris palmas utrasque tetendit. Idem in III. anchisen facio certum remque or
dine pando. Romanae tamen declinationis ratio exigit hunc eneam et
hunc anchisam dicere. Horatius in II. sermonum. et scribere fortem.
Scipiadam ut sapiens lucilius haud mihi dero. scipiadam dixit non scipiaden. Cum nomi
natiuus in es. desinit. secundum formam patronomicorum. quae est greca hic
scipiades. Quamuis antiqui hui cemodi quoque nominum. id est in as. uel in es.
terminantium primae declinationis. nominatiuos etiam in a. finiebant.
ut est geta. sosia. birria. cherea. marsia. similiter poeta. sophista.
scitha. Terrentius. poeta cum primum animum ad scribendum adpulit suum. Lucanus. et cunctos armata

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, Latin 10403, fol. 9v-10r – Priscian, Institutiones grammaticae
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-uvgs/2060/25473)